

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historia Zaringo Badensis

Schöpflin, Johann Daniel

Carolsruhae, 1766

Tabula I.

[urn:nbn:de:bsz:31-295072](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-295072)

FRONTISPICIUM TABULARUM.

In superiore Frontispicii Nummorum Durlacensium parte Zaringicum comparet sigillum, equitem exprimens galeatum cum vexillo. Sigillum est Bertoldi IV. ab illo diversum, quod in Numismatum Bada-Badensium Frontispicio exhibui. Adhæret Chartæ A. 1181. quæ in Capituli Sancti Urfi scriniis Solodori servatur; ab Illustri Zurlaubio Franciæ Campi - Marefchallo, cujus studium inferuendi Badensium rebus heic publice laudandum, nuper ad me missum. Inscriptio: BERHTOLDVS. DEI. GRA. DVX. ET RECTOR. BVRGVNDIE.

In inferiore Frontispicii parte sigillum Bada-Durlacense majus posuimus.

T A B U L A I.

E R N E S T U S.

I.

Numisma argenteum, elegans, formæ majoris, Ernesti, Bada-Durlacensium fatoris, pallio principis induti, repræsentans imaginem. Caput reticulo cinctum, quod crines involvit. Christophorus, Ernesti pater & ejus frater Bernhardus in Christophorianæ familiæ Tabula eadem forma comparent. (d) Aurea torques ex collo propendet ad pectus. Epigraphe:

(d) Tom. II. pag. 288.

V. G. G. ERNST. MARGRAVE. ZU. BADEN. UND
HOCHBERG.

Dei Gratia Ernestus Marchio Badensis & Hochbergensis.

In averfa parte:

NIT SCHIMPF MIT ERNST.

Ernesto illudere noli.

Subjungitur Aera MDXXXIII. Occasionem nummi cudendi dedisse videtur discordia, in dividenda Philippi hereditate inter fratres exorta. Ernestus, de Confiliariis fratris non semel conquestus, constantem in omni hoc negotio animum ostendit. At eodem anno restituta inter fratres concordia, quam nummus Tabulae IV. Bada-Badensium fiftit.

II.

Nummus unilaterialis, in quo Badensis baltheus & Spanheimenses tessellae. Manus junctae cor tenent, ex quo prodeunt rosae. In infima nummi parte lithospermum conspicitur. In circulo, qui nummum ambit, Aera MDXXXIII. comparet. Monumentum conjugalis inter Ernestum & Urfulam Rosenfeldiam concordiae.

M A R G A R E T H A

ERNESTI FILIA.

I.

Unilaterialis argenteus, moduli majoris, nummus Margarethae, Ernesti filiae, quae Wolfgango Oetingensi Comiti nupsit.

Tom. IV.

Iii 2

MARGARETH. MARGGRAVIN. ZV. BADEN. IRS.
ALTERS XX.

Id est: *Margaretha Marchio Badensis ætatis suæ XX.*

II.

Eadem Margaretha. In postica parmula Badensis cum Spanheimensibus tessellis. DROLLINGERUS Margarethæ, Caroli I. Marchionis filiæ, Abbatissæ Lucidæ Vallis, A. 1496. defunctæ, attribuit nummum, (e) quod Durlacenses ante Georgii Friderici ætatem, Spanheimensibus tessellis non fuerint usi. Spanheimensia, ante Georgium Fridericum, Insignia non adhibuisse Marchiones, non equidem negaverim; at Principes feminas illis usas esse, ejusdem Margarethæ apocha, Carolo fratri A. 1558. data, ostendit; quæ Margarethæ refert sigillum, in quo Oetingensia cum Spanheimensibus comparent. Elifabetha, Margarethæ foror, Conrado Comiti Castellæ nupta, A. 1544. usa est sigillo, quod Spanheimensia Castellensibus jungit. Denique Margaretha sæculari, non ecclesiastico, habitu decoratur. Literæ & scalprum artificis a seculi XV. ruditate abhorrent, & cum nummis Ernesti ac Caroli II. conveniunt.

(e) In Schedis.